

ronymus Comment. in Esaiam lib. 3. cap. 6. Calculus iste (inquit) qui à solis Lxx. anthrax, id est, Carbunculus est interpretatus, potest non carbonem significare vel prumam, vt pleriq; existimant: sed Anthraca, id est Carbunculum lapidem, qui ob coloris flamei similitudinē igneus appellatur. Sic ille: sed Hebraicè legitur rizpah, רִזְפָּה. Idem ad Damasum in Epistola cuius initium, Septuaginta: Calculo, inquit, Sephora filium circuncidit, [*at hic Hebraicè legitur zor, non nophok, & silicem significat.*] & Iesus populum purgat à vitijs, & in Apocalypsi Dominus pollicetur vincantibus, vt accipiant calculum, & scribāt super eum nomen nouum. Videntur autem mihi & Lxx. in eo quòd anthraca trāstulerunt, idem sensisse quod cæteri. anthrax quippe quem nos Carbunculū interpretamur, genus est lapidis fulgidi atq; nitentis, quem etiam in XII. lapidibus inuenimus.